



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Disc. XXX. Aureum orbis propitiatorium. Maria propitiatorium est universo
orbi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

DISCURSUS XXX.

Propitiatorium, id est, mundi cum Deo Reconciliatrix, Virgo Maria est.

Exordium.

Arcam fœderis Deus ipse Exodi 25. *Propitiarium*, appellavit, ut profundè observat Doctor Angelicus S. Thomas de Aquino. art. 4. ad 6. Ratio est, quia de arcâ olim Deus sese clementem & gratiosum exhibuit, per arcam populo reconciliabatur, hinc etiam processurus ad prælia populus Israël, arcem secum honorificè duxit, ut per eam, in omni necessitate, gratiam à Deo à auxilium impetraret. Mundum univèrsam Deo reconciliavit Virgo Maria, omni momento usque in hanc horam, Filium suum movit ad misericordiam Dei ac misericordiam Mater, gratias innumeras afflictæ impetrat Christianitatis, ipsa ergo arca fœderis, thronus gratiæ, propitiatorium, & totius mundi cum Deo est potentissima Reconciliatrix.

SS. Patres.

Patres desuper percipiamus. *Arcam autem, quid nisi sanctam Mariam dixerimus, siquidem arca intrinsecus portabat Testamenti tabulas, Maria autem ipsius Testamenti gestabat heredem; illa intra semetipsam Legem, hac Evangelium retinebat; illa Dei vocem habebat, hac Verbum; arca intus, foris*

S. Ambrosi^{us}

auri nitore radiabat, sancta Maria intus, forisq. virginitatis splendore fulgebat; illa terreno ornabatur auro, ista caelestiuavavissimè perorat S. Ambrosius. serm. 25. Quis Deum non honoret in Virgine, qui Virginem Dei voluit fieri Genitricem.

S. Laurenti^{us}

Justinianus

Reparatricem sæculi, Lumen mundi, Speculum sanctitatis, fidei Magisterium, peregrinationis solatium, immaculatum Templum, & fœderis Arcam divinis manibus fabricatam? Arcam Maria Testamenti Arcam verissimam, quæ auro vestita mundo, virtutum gemmis ornata, impurissimis lignis

liter facta, Testamenti tabulas, frondentem virgam, & suavissimum in se manna continuit? gratiosè quærit S. Laurentius Justinianus. serm. de Nat. B. V. *Rectè Arca sacramentorum Dei, Virgo Maria fuit, supra quam sanè propitiatorium, & Cherubim, hinc inde obumbrantia figurantur, intus omnis custodia legis, & manna fuit, quod est mirabile sacramentum, & propitiatio humane salutis; supra quidem propitiatorium rectè positum est, quia ipse propitiatio nostra, super omnia est benedictus Deus.* loquitur S. Ildephonfus. serm. 1. de Assumpt. B. V. *Thronus gratia est beata Virgo Maria, de qua Luca. 1. legitur: Ave Maria gratiâ plena: Unde Apostolus: Adeamus cum fiducia ad thronum gratia, scilicet Maria, qua est thronus.* ait B. Albertus Magnus. Sermon. de Dedicat. Eccles. *Per hanc diuturnum illud bellum, quod nobiscum cum Creatore erat, sublatum & extinctum est, per hanc nobis, cum eo reconciliatio sancita, pax & gratia donata est.* Marianè scribit S. Joannes Damascenus. Orat. de Dormit. B. V. *Maria thronus est gratia, locus reconciliationis univèrsæ terra.* concludit S. Ephrem. serm. 25. *Throno huic supplices provolvamur, ut gratiam Spiritûs sancti adipiscentes, Arcam fœderis, divini Artificis manibus extructam, exquisitis Conceptibus honorificè deducamus.*

S. Ildephon-

sus,

B. Albertus
Magnus.S. Joannes
Damasce-
nus.

S. Ephrem

CONCEPTUS I.

Aquas maris esse amarissimas, quotidiana docet experientia, hinc ab amaritudine nomen suum mare accepit, quæri tamen potest, an non sit reperibile medium, quo sua aquis maris amaritudo tolli, & in dulcem converti valeat? Plutarchus medium adinvenit; ex cerâ virginali fiat vasculum, atque in eo reponatur aqua maris, brevissimo temporis intervallo, mediante cerâ virginali omnem dimittet aqua amaritudinem, & supra mel vertetur in dulcem. Mare amarum ira Dei erat in lege antiquâ, univèrsum enim genus humanum, ut Oseas Propheta conqueritur. *Ad amaritudinem*

Confirma-
tio, seu De-
ductio.

nem

nem concitavit Deum suum. 14. cap. ad dulcorandum hoc ma-
re Spiritus sanctus, de tenuissimâ cerâ Virginali, id est, de
immaculato Mariæ Virginis utero, pretiosissimum vas, ce-
lestis Artifex præparavit, in quo mare immensum, Deus no-
ster, novem mensibus requievit, atque ibidem de Deo irato,
ac vindice, in Deum benignum, ac Patrem misericordis-
simum immutatus est, & dulcoratus, eandemque adhuc
quotidie, ad intercessionem Matris, in mundo dulcedinem
spirat, atque hæc mulier illa est, de quâ prædixit, Esdras,
lib. 4. cap. 5. *Mulier pariet portentum, & in dulces aquas am-
ritudo commutabitur.* subscribit S. Laurentius Justinianus. de
Casto Connubio. cap. 9. *Ipsa est tabernaculum Testamenti, &
castræderis, templi Propitiatorium.*

CONCEPTUS II.

Annis singulis experimur in mense Augusto calores im-
olerabiles, in Septembri verò refrigerantem suavem Zephy-
rum; in Augusto fructus arborum acres sunt, & acetosa, quæ
& uvæ in vineis adhuc amarescunt, at in Septembri ma-
tura fiunt omnia, & acceptâ dulcedine sapiunt. Cur hoc?
Unde tam diversi in his duobus mensibus effectus? Respon-
dent Naturalistæ: in Augusto sol est in leone, signo ardentis-
simo, in Septembri autem in virgine, signo mitigante. In-
geniosissime S. Antoninus. Part. 4. Tit. 15. cap. 22. §. 2. *Quæ
materialis per Zodiacum discurrens, in signo leonis est arden-
tissimus, & animalium corpora, nimio calore languida reddit,
sed ingrediens signum virginis, mitigatur; ita Sol iustitia Deus
noster, in Veteri Testamento erat ut leo rugiens, Deus ul-
timum, puniens terribiliter peccatores; ut patet per exempla in
scripturis: sed ex ferventissimo amoris calore intrans in uterus
Virginis, totus factus est benignus, & suavis, & humanus,
unde & fructus tunc maturescunt, & suaves fiunt. Sicut er-
go in Zodiaco signum virginis solem elementarem mitiga-
do, fructus terræ suaves reddit, per amœno Zephyro*

nes & jumenta refocillat, sic in cœlesti curiâ Virgo Virginum Maria, Solem Justitiæ Christum placando, & de leone transmutando in Agnum, qui tollit peccata mundi, suaves gratiæ & gloriæ fructus misericordiæ Mater producit, peccatores recreat in terris divino flamine, & gratiosissimo regimine Angelos lætificat in cœlis: Et sicut in Zodiaco mediam inter leonem & libram seu stateram, virginem Creator posuit, sic inter Deum Judicem, & justitiæ ejus stateram Mediatrix sese interponit Mater Creatoris Virgo Maria; fulguret quantumcunque contra peccatores iræ divini gladius, sæviat pro libito divini indignationis furor in peccatrices, Mariâ Mediatrix, nec gladius feriet, nec ignis absumet, sed intacti penitus evademus, & illæsi. Adstipulatur doctissimus Abbas Perfeniæ Adam. Serm. de Annunt. B. V. in Mariali ab Hippolyto Maracio edito, *Qui Filium tuum inter Deum & homines potuit Mediatorem, te quoq; inter reum & Judicem posuit Mediatrixem.*

CONCEPTUS III.

De rhinocerote scribunt naturæ interpretes, quod immitis sit, & irreconciliabilis, & ne humanas quidem vires formidet; quâ viâ ergo reconciliabitur? Si obviam habeat castam quandam & speciosam virginem, illicò cunctam deponit iracundiam, & nativæ ferocitatis oblitus mansuescit, & à virgine ligari sese permittit, & abduci, quocunque ipsa petat. Ante incarnationem terribilis & insuperabilis Deus fuit, ut propterea benè dixerit de eo Job. cap. 39. *Numquid voles rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad præsèpe tuum?* Tam fortis & implacabilis erat Deus, ut nec Abraham, nec David, neque omnes Patriarchæ & Prophetæ veteris Testamenti, cum à vindictâ retardare, remorari, ac capere potuerint, imò quilibet illi appropinquare pertimescebat; tandem pulcherrima mulierum Virgo pura & immaculata, eundem à cursu feroci remoratur, humanâ carne ligat, un-

ee de

de adeo evasit mitis, mansuetus, & benignus, ut a quolibet deinde capi potuerit, & alligari, uti tempore amarissimæ sue passionis accidit. Audiatur S. Thomas de Villâ Novâ. serm. 4. de Nat. Domini. *cujus hic est Conceptus. Quid Filio Dei similis, quàm filius unicornium? captus est & ipse amore Virginis, & majestatis oblitus, carnis vinculis irretitus. Magna Domina, mundi cum Deo potentissima Reconciliatrix!*

CONCEPTUS IV.

Christum dilectum suum, fasciculo myrrhæ Mariæ comparat, & collocare inter ubera promittit. Cant. 1. cap. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Quid sibi vult hæc similitudo? myrrham amarum esse, comperimus, fors ideo fasciculus myrrhæ dilectus tuus, ô Virgo! quia in antiquâ Lege amarus erat, & ad puniendum peccatores severus? Ita fanè: sed cur ei inter ubera commendandum? Virtutem dulcorandi habent ubera, sic sanguis in se horribilis, in uberibus efficitur lac, quod dulce est, & delectabile ad bibendum, fasciculo myrrhæ Christum suum Virgo comparavit, atque eundem inter ubera sua reposuit, ut indicet, quòd Deus ille, qui ante incarnationem amarissimus fuit, postquam in ejus visceribus humanam assumptam naturam, postquam dulci ac suavi ejus lacte fuit nutritus, factus sit totus suavis, mansuetus, & benignus. Ita Richardus à S. Laurentio. lib. 4. de Laud. B. V. *Fasciculus fuit Christus in veteri Lege, sed inter ubera Mariæ factus est dilectus, & suavis & dulcis; sicut enim sanguis in se horribilis, in uberibus efficitur lac, quod dulce est, & delectabile, sic Filius, qui in Lege erat terribilis, inter ubera Mariæ factus est mitis, verum Dei propitiatorium.*

Epilogus.

Quisquis igitur Deum sibi propitium haberi cupit, Propitiatorio huic humiliter se provolvat, sitque luna sub pedibus Virginis, cum S. Bernardo, serm. super Sign. Magn. 14

te Mater misericordia, per ipsum sincerissimum tua mentis affectum, tuis jacens provolus a pedibus luna, Mediatricem sibi apud Solem Justitia constitutam, devotis supplicationibus interpellat, ut in lumine tuo videat lumen, & Solis gratiam tuo mereatur obtentu, quam verè amavit pra omnibus, & ornavit, stolà gloria induens, & coronam pulchritudinis ponens in capite suo.
Amen,

*Fœderis Arca Dei, pia Virgo fit, anchora
spei,*

*Nam judicem placat, dum deprecando
vocat.*

*Hanc Arcam absq̄ morâ, supplex peccator ho-
nora,*

Propitiando Deum, te teget illa reum.

